

me verò & sibi & rebus suis consulit, quando vocem Formæ,
 quia multiplex est, distingvit, quæque acceptio ad forum suum
 faciat, declarat. Quod dum nos quoque intendimus, nec sin-
 gulas distinctiones nominales excutere animus est, sed eam
 tantum, quâ forma distingvitur in Accidentalem & Esfentia-
 lem. Ubi *illa* est, quæ non pertinet ad constitutionem rei, sed
 accidentaliter duntaxat rem determinat & perficit, ut potentia
 natandi, volandi, reptandi, progrediendi, virtus in homine,
 potentia saltandi &c. Cujusmodi formæ variæ dantur & plu-
 res omninò sunt, quàm ut exprimi & describi satis queant. Di-
 stingvuntur tamen communiter in naturales, quæ sunt figuræ
 & formæ externæ rerum naturalium incurrentes in oculos.
 Qualis forma externa est Hominis, Leonis, Aquilæ, Delphini,
 Draconis &c. Et artificiales, quæ sunt rerum artificialium,
 quæ arte in materiam introducuntur. Qualis est forma cathe-
 dræ, mensæ &c. quales formas prudens potensq; ars pingere
 & effingere novit. *Hæc* est, quæ rem in esse constituit, & con-
 sideratur *vel* Metaphysicè, estque tota rei quidditas & esfentia,
 quæ alias forma totius, forma Metaphysica dicitur, ut huma-
 nitas in homine: *vel* Logicè, estque differentia uniuscujusque
 rei specifica vel formalis ratio, quæ ob analogiam quandam &
 cognationem, quæ inter ipsam & formam Physicam interce-
 dit, sic dicitur: *vel* Physicè, ut h. l. estque altera pars composi-
 ti, quæ dat esse, distingvi & operari specificum, dicta alias for-
 ma informans, Græcis εἶδος, λόγος τῆς οὐσίας, ἀγαθόντι, ἐφετυ
 καὶ θεῖον, εἶδος, τὸ π εἶναι, ἐπιτέλεχος Latinis Actus, perfectio.
 Species, definitio, terminus, finis, ratio &c.

§. 2. Constat verò ipsa Definitio & genere & differentiâ.
 Genus causa interna est. Idque rectissimè. Causa enim in-
 terna & esfentialis definitio & eodem latior est. Esfentialis
 est, quia formæ competit definitio tum causæ in genere, tum
 internæ causæ in specie. Etenim forma & principium est,
 quod importat influxum in esse corporis, & ita in corpus na-
 turale influit, ut esfentiam ejus ingrediatur idque intrinsecè
 constituat. Secus atque Efficiens & finis, quippe quæ exterius
 ad effectum producendum concurrunt, & cum causalitate ex-
 trinsec-